AUGUSTINUS

Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 129r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Quia hec annunciatio quam audiuimus ab inicio. ut diligamus inuicem. Manifes
tauit nobis inde se dicere. Contra hoc mandatum quisquis facit in peccato ille est
scelerato. in quod incidunt qui non nascuntur ex deo. sicut cain qui ex maligno erat et oc
cidit fratrem suum. Et cuius rei gratia occidit. Quia opera illius maligna fuerunt. fratris
uero eius iusta. Ergo ubi est inuidia. amor fraternus esse non potest. Intendat caritas
uestra. Qui inuidet. non amat. Peccatum diaboli in illo est. quia et diabolus inuiden
do deiecit. Cecidit enim. et inuidit stanti. Non ideo uoluit deicere ut ipse
staret. sed ne solus caderet. Tenete in animo hoc quod subiecit. inuidiam non
posse esse in caritate. Habes aperte cum laudaretur ipsa caritas. caritas non emu
latur. Non fuit in cain caritas. et non esset caritas in abel. non acciperet deus sacri
ficium eius. Cum enim ambo obtulissent ille de fructibus terre. ille de fetibus ouium.
quid putatis fratres quia deus fructus terre neglexit et fetus ouium dilexit. Non intendit
deus ad munus sed in corde uidit. et quem uidit cum caritate offerre ipsius sa
crificium respexit. quem uidit cum inuidia offerre. ab ipsius sacrificio oculos
auertit. Opera ergo bona abel non dicit nisi caritatem. opera mala cain non dicit nisi
odium fraternum. Parum est quia odit fratrem suum et inuidit operibus bonis. quia imi
tari noluit necare uoluit. et hinc apparuit quia filius erat diaboli. et
ille hinc apparuit iustus dei. Hinc ergo discernuntur homines. Fratres mei. ne
mo attendat linguas. sed facta. Cor si non bene faciat pro fratribus suis. osten
dit quid in se habeat. Temptationibus probantur homines. Nolite mirari fratres.
si odit uos mundus. Numquid sepe uobis dicendum est quid sit mundus. Non ce
lum. non terra. nec ista opera que deus fecit. sed dilectores mundi. Ista sepe dicen
do quibus dicam onerosus sum. Sed usque adeo non frustra dico. ut aliqui interrogentur
an dixerim. et non respondeant. Ergo uel inculcando hereat aliquid in cor
dibus audientium. Quid est mundus. Mundus est quando in malo ponitur dilec
tores mundi. mundus quando in laude ponitur celum et terra et que in his sunt opera
dei. Unde dicitur. Et mundus per eum factus est. Item mundus est plenitudo terre. sicut
dixit ipse iohannes. Non solum autem nostrorum peccatorum propiciator est. sed et totius mundi.
Mundi dicit omnium fidelium per orbem sparsorum. Mundus autem in malo. amato
res mundi sunt. Qui amant mundum. fratres amare non possunt. Si odit uos
mundus. nos scimus. Quid scimus. Quia transiuimus de morte ad uitam. Unde
scitis. Quia diligimus fratres. Nemo interroget hominem. Redeat unusquisque
ad cor suum. si ibi inuenerit caritatem fraternam. securus sit quia transiit
a morte ad uitam. Iam in dextera est. non attendat quo modo gloria eius occulta est.
Cum uenerit dominus. tunc apparebit gloria eius. Viget enim. sed adhuc in hieme.
Viget radix. sed quasi aridi sunt rami. Intus est medulla que uiget. intus sunt folia
arborum. intus fructus. sed estatem expectant. Ergo nos scimus quia transiuimus
de morte ad uitam. quia diligimus fratres. Qui non diligit. manebit in morte.
Ne putetis fratres leue esse odisse. aut diligere. audi quid sequitur.